

quod quales ipse accepi tales ubique fere religiose servandas duxi, quam si mutata aliquantulum forma exhibere et alienæ quasi mentis interpres esse voluissem.

Sequitur Codicum et aliorum quibus adjutus fui subsidiorum enarratio.

*Med.* Codex Mediceus, membranaceus, forma quadrata, seculi decimi vel undecimi, apud Florentinos in bibliotheca Laurentiana plut. 32. 9. asservatus, omnium vetustissimus. Hoc olim minus diligenter usus est Victorius: contulit A. M. Salvinius, cuius collationem ad oram Stephanianæ editionis scriptam in Biblioth. Bodleian. Rawl. 191. videre est. Alteram et longe accuratiorem pervetusti hujus codicis collationem cum editione Schuetziana 1809. factam editioni Æschyli Weigelianæ quæ Lipsiæ prodiit 1827. subjectam invenias. Hanc autem collationem non a Francisco de Furia, sicut ait Dindorfius, sed a collega ejus Gaspare Bencinio institutam esse literis ad me datis monuit me ipse de Furia; qui tamen eam summa cum fide factam esse se nullum dubitare ait. Quum autem de locis quibusdam inter diversas collationes dubius hærerem, has omnes insigni cum humanitate ipse in se conferendas suscepit Vir doctissimus; cuius perspicacitati debeo observationes quasdam de Medicei codicis lectione quas hic illic notis interspersas lector inveniet.